In Dei nomine. Sit notum omnibus hominibus. Quod ego Bruna et Bernardus Bruni frater meus quisque nostrum in solidum per nos et per omnes successores nostros vendimus vobis Petro Moliner filio Acarites et vestris in perpetuum unam casam cum suo sollerio quam habemus in villa Ultrade in parrochia Sancti Iohannis, sursum in costa, per quinquaginta et sex solidos iaccenses, ex quo toto precio vestri paccati sumus ad nostram voluntatem, renunciantes exceptioni non numerate pecunie. Et predicta casa cum solerio super eam posito affrontat ex una parte in carraria, et ex alia in domibus Bernardi de Cesguasques, et de tercia in domibus Arnaldi de Cesguasques, de quarta vero parte in domibus Berengarii Offegati que fuerunt de abbadia. Quantum hee omnes affrontaciones includunt et ambiunt sic quisque nostrum in solidum cum presenti hac carta vendimus et tradimus prefatam unam casam cum suo sollerio super ipsam posito vobis Petro Moliner superadicto et successoribus vestris per iamdictos LVI solidos, franca et libera de omnibus hominibus et feminabus, ut eam habeatis et teneatis et possideatis per donare et per vendere et per alienare et ad omnes vestras vestrorumque voluntates perpetuo faciendas a celo in abissum. Et sic de iure nostro et dominio eam eicimus et in vestrum ius et dominium et potestatem mittimus eam et tradimus sine vestro ingano, sine aliquo retentu nostro et nostrorum, quod ibi non facimus aliquo modo. Et nos et successores nostri quisque nostrum in solidum erimus inde vobis et successoribus vestris perpetuo guarentes legales et defensores contra omnes personas excepta potestate terre. Et si predicta vendicio aliquid de plus de iamdicto precio valet modo ut tanta valebit, totum illud ex bona voluntate vobis et vestris perhenniter donamus omni vestre voluntati facere. Et ut securior sitis vobis et vestris presencialiter donamus fiduciam de salvetat ex omni predicta vendicione Petrum Bruni fratrem nostrum qui eam cum pertinenciis suis omnibus vobis et vestris perpetuo faciat habere et tenere et possidere salve et secure in pace contra omnes personas excepta potestate terre, franca et libera, nobis et sine vobis et sine vestro ingano. Et ego Petrus Bruni prenominatus libens facio et concedo hanc prefatam fiduciam salvetatis vobis Petro Moliner superadicto et vestris bona fide et sine vestro ingano. Et ita habeatis predictam domum cum sollerio suo ut dictum est, et cum ingressibus et exitibus et pertinenciis suis.

Quod est factum septimo idus madii sub anno Domini millesimo ducentesimo tercio. Sig+num Brune. Sig+num Bernardi Bruni fratris mei. Sig+num Petri Bruni fratris nostri fiducie salvetatis. Nos qui hoc firmamus et concedimus omnes et testibus firmare rogamus.

Sig+num Ramon Belot iuvenis. Sig+num Bernat Roig de Bona Nima. Sig+num Maciani Zabat filius Iohannis de Acer, qui huius rei sunt testes mandato Brune et Bernardi Bruni et P. Bruni. Sig+num Frangue uxoris P. Bruni que hoc laudo et firmo. Sig+num Petri filii eius qui hoc laudo et firmo. Sig+num Hominis Dei filii Guillelmi de Zarridota, mandato Frangue testis et P. filii eius.

Sig+num Raimundi Iterii qui hoc scripsit die et anno quo supra.

2/7

1203-5-15

1203

324